

Ann. X.

ROMAE, Kal. Augustis MDCCCCVII

Num. VIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKĄ RODZINNĄ", Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 15 VARSIAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN ANGLIA

Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W. 28, Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame

RERUM INDEX

Ex Brasilia.

Quid rhetoricae tribendum sit in Dionysii Halicarnassensis historia.

Vox Urbis Palaestra. — Litterarum nomine quid veniat.

Horae subsecivae. — Chorus Iuvenum Polonorum. — Audientibus aliis, ne quid temere dicas.

Feriae Augustae.

Philandri Bavari de aqua disputatio.

Beati Petri vincula.

Acta Pontificia. — Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis Decretum.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia.

Annales: — Administrorum colloquia. — Haganus de pace conventus alter. — Iaponensis aerimonia. — Russica quies.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem.

Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

ZENO - Tragoedia IOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.).

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCVII



T. ET G. FRATRUM PARISI
Pontificia officina Candalarum ad Sacra
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.
ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candelarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales
- Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamenti decori ad baptismata et
Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.

REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglica, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candalarum ad Sacra enixe commendamus,
quae per orbem universum operis suae fructus iamiam disseminavit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro
Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS
paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Com-
mentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIROBVS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.

De claris sodalibus provinciae Taurinensis Societatis Iesu commentarii conscripti
et exornati a P. SALVATORE CASAGRANDI ex eadem provincia, ven. lib. 7
beneficio *Missionum Montium Saxorum, Californiae et Alaskae S. I., VOX URBIS*
Sociis pretio lib. **4,50** conceduntur.

Qui sibi eos cupiat, ab auctore requirat *Via Barbaroux, 28 — Torino.*

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italianam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

EX BRASILIA

Ex urbe Brasiliana terrae antiquissima lectoribus latino praesertim sanguine natis consocios dicere salutem non leve gaudium est; Bahiam autem hanc invisere eo vel magis est viatori iucundum, quia, licet permagna satis satisque frequens civitas, aetate hac nostra iis adhuc moribus vivit, ut Lusitanorum illustrium militum, Brasilianis qui terris olim potiti sunt, aetate vivere adhuc urbs videatur. Portus patet in mare amplissimus sane atque appulso facilis, ferreaque viae eius moenia reliquis cum reipublicae magnis civitatibus coniungunt. Medicorum adest atque machinariorum athenaeum illustre, Ecclesiaeque tironibus instituendis seminarium dives florescit. Verumtamen non ut Sancti Pauli, neque ut Ianuarii fluminis in urbibus novissima humanitas ibi vivit ac moveretur, sed omnia passim lentissimo cursu aguntur, quo septimo ac decimo saeculo forte trahebantur. Ibi vetera omnia, atque lusitanicae veteris plebis mores redolent. Eorum vita atque gesta, gestorum vitaeque persimilia passim, quibus utuntur Lusitani agricultae per vetustissima oppida regni. Sed agendi vivendique ratio aliquantulum mollior atque flaccidior, quia ex colonis hinc, indeque ex nigritis servis atque ex indicis aborigenis semen mixtum populo plane mediocri, robore pariter carenti atque virtute, originem dedit.

Haec omnia vivunt sub tersissimo decore caeli atque solis sub radiis plane fulgentibus, quibus universa naturae facies rutilat atque renidet. Bahianae domus ligneae plerumque, viae angustae, rara sane fora et arcta. In domibus ligneis atque exiguis tecta atque lacunaria linea semper, ubi vermiculi passim nudum faciunt. Fenestrae non ligneis cratibus, quibus Europaei nos utimur, conclusae, sed opereulis defenduntur arabo more confectis. Vitae autem commoda omnia et utilitates huiusmodi a casis omnino fere exsulant. Nec satis. Onera atque impedimenta omnia merciumque sacculi atque involuera non curribus aut vehibus, sed famulorum capitibus sustentata hue vel illuc deferuntur. Quum magnum nimis pondus est, tribus vel quatuor suppositis baiulis res conficitur. Incredibile plane facinus aetate hac nostra qua tot vehibus ferreis, vaporitrahis, electride actis curribus, aliisque huiusmodi curieulis plena sunt urbes.

Eequid vero? Currum si quaesieris, qui te ac tua per urbem pertrahat, adveniet statim aliqua trahea monumenti persimilis, magnis vitreis fenestris instructa, quadrigae more mulis aut equis acta, gravis quidem ac splendida,

pulvinaribus constrata magnis, quae te condigno sane tanta maiestate pretio, per urbis vias deducet. Hanc si attonitus miratus fueris, mirabuntur cives vicissim, eo quod ingens currus facies et decora tanto te stupore perculerit. Ceterum iis curribus moderate sane cives fruuntur; indoles enim sole corusco et splendido mari tepidaque caeli temperie mollis paullatim ac lenta facta est, et multum eius dissimilis quam primi litoris captores habuisse credendum est. Igitur silent viae ac squalescunt fori: cives autem domi manent dormientes paululum, studentes parum, adlaborantes quod vix est necessarium, vixque audiuntur interdum olitorum voces vel nunciorum, qui diaria per vias venditent. Ipsae eurionum, aut argentiorum, aut epistolarium scholae vel domus clausae plerumque manent, vixque quotidie ad duas vel tres horas civibus patent.

Utile profecto fieret urbs Bahia refugium aequalibus nostris, quorum mens tot ac tantis curis, anxietatibus atque sollicitudinibus per negotia multa torquetur. Ibi enim quietem inventiret atque pacem, qua post urbanos rumores tantopere animus eget. Haud vero scio an consuetis vesci cibis civis noster hic possit, ubi passim nonnisi palmarum oleo et iumentorum adipe incolae nutriuntur nigrisque phasolis.

Quibus perpensis, iure maximo ea dicta videntur, quae coquus ille Gallus percelebat Brillat Savarin asserebat, humanitatem populorum ex vescendi ratione tuto posse aestimari.

Sed tamen Bahiani cives catholicis traditionibus sunt addictissimi. Religiosae pompa maximo splendore celebrantur, easque sequuntur magistratus omnes atque duces ornati militari plane sumptuoso et magnifico.

Ceterum variis factionibus et partibus divisi cives vivunt, qui hunc vel illum virum sectantur, iuxta mercedis spem, quam ab uno aut ab alio sperant. Privatis enim cupiditatibus et aemulationibus, non libertatis studio, prima ea coniuratio coaluit, qua Petrus e domo Brabantiae, Brasiliæ imperator, suo e regno pulsus est in exsilium. Verumtamen publica eius gestio, honesta quidem et integra pariterque pacifica, qua ambitiones cupiditates a publica re arcebantur, avidis auri viris displicuit nimis; qui propterea consertis manibus regem expulserunt. Modo Brasiliam in viginti respublicas divisere, ex quibus singulae suos habent senatus et praesides, ita ut constituto late hoc regentium ordine, populi commoda atque civitatis utilitates paucorum in arbitrium relicta sint. Ita non aliter ac per reliquas fere omnes latinae Americae terras, publicum alienum aes maxime crevit, simulque aucta vectigalia sunt et

tributa gravata, vitaeque vivendae pretium ineribili ratione est multiplicatum. Officia vero publica civiliaque munera, quoties publicae rei administrari mutantur, quod frequens est, toties novis committuntur viris, qui ex novorum praesidum factione deligantur.

Non desunt sane optimatum inter coetus viri ingenio alacres et doctrina praestantes, regere qui populum et publicos innovare mores sciunt; verum impotes rei efficienda sunt omnes. Non enim homines ad tantum opus efficiendum sati essent, sed heroes tantum forent inceptui maximo pares. Pugnandum iis enim esset et contra amicos et contra sectatores suos, et suam usque in utilitatem, quod plane facinus homines perraro audent. Haec exempli modo fecit novissimo tempore Ianuariensis urbis praeses, qui angustas veteres vias effudit, apernit, dilatavit, multaque et grandia et lectissima publica aedificia condidit. Id vero perraro accidit ut homines proprii commodi immemores fiant, seseque publicae augendae fortunae tradant.

Hisce legibus et moribus hic vivitur sub benignissima caeli temperie, interque lectissimos terrae marisque et uberrimos fructus beato nimis otio contenti....

VIATOR.

Quid rhetoricae tribuendum sit

in Dionysii Halicarnassensis historia⁽¹⁾

Diximus nuper in rhetoricae pigmentis nimis delectatum esse Dionysium: videamus ergo, ut dicta exemplis confirmemus, rem leviter perstringentes.

In primis, huius in historia consulum vel duecum pronuntiationes inopportune protenduntur. Turgidae ac decoloris sunt locorum et pugnarum et obsidionum descriptiones; patricii aliique cives in re publica versati ratiocinantur; non hominum priscorum, sed scribentis quasi afferuntur sensus, cognita iterantur, praesertim quum de virtute vel genere viri cuiusdam disputetur; eodem prope modo bellum geritur et conficitur; iuxta partium studium res gestae comparantur, non per naturam; huiusmodi recurrent verborum circuitiones: « sed de hoc alibi dignius; — nunc ingredior dicere quod reliquum est; — sed haec hactenus; — attamen difficile verum perspicere; — est operae praetium per pauca necessaria enarrare, quum ita ferat propositum; — non oportet petere quod inter homines per fabulas con-

(1) Cfr. num. sup.

stat; — ne longus sim; — nunc ad magna incepta venio; — timeo ne graviores videantur res, quum quisque e suis ipsius aliena pendat, attamen dicam; — ut paulo ante posui; — haec silentio praetermittere non debet....».

Accedit hue quod liberrime is evagatur pro suo comparandi studio vel considerandi omnia, tamquam si res gestae mandandae sint litteris per digressus aut eruditionis iactationem!

Itaque, dum veteres evolvit historias, magnopere Italiam laudat, regiones eius, pabula, salubritatemaeli, maria et huiusmodi quae in rerum natura fiunt admirabilia.... In caelostibus quoque moratur, sinistram lueem auspicium optimum haberi; qui sint in aethere ignis divini fontes, quomodo fulmen in descensu naturam commutet....

Prisci mores probi, supplications et saera, deorum cultus, iuris inrandi vis, in patriam piezas et amor, ardor animi quo periculum fortunatum et capitis pro reipublicae salute a priscis gentibus neglegebatur, iustitiae religio virtutisque usus eum impellunt ut iraeundia quasi ardeat in suae aetatis corruptelam et continuo deploret, tantum ea tempestate iusserandum valere, tantum probitatem, tantum coli virtutem! Quid amplius? Nonne concinnis, exageratis verbis ac philosophiae propriis quae est de vita et moribus, suas videtur ille sententias expromere? Nonne eis stomachamur sententiis, in quas nullo fere intericto intervallo necesse est incidas, velut si in impedimentum quoddam? Num fides danda est ei praeter modum, nihil se dicenti commentum esse, sed omnia didicisse diu Romae moratum, post bellum intestinum, Augusti temporibus? Quid magis rhetorica redolat orationibus, quas nullo modo romanis annalibus detortas atque usurpatas censeo, sed potius ipsi Dionysio tribuo?

Scribit Peter: «Von der rhetorischen Tendenz ist schon oben hinreichend dargethan, dass in dieser die zahlreichen und endlosen Reden und die Uebertreibungen ihren Grund haben» (1), eiusque in opinionem non dubito descendere.

Nonne enim — hoc urgere liceat — rhetoricae tribuenda est illa peragrandi consuetudo ultra famae rerum fines, in quibus, si quid certi vel dubii sit, eodem fere amplificationis fueo a Dionysio obumbratur? Et vero, non de sunt qui suo in iudicio hoc amplificationis studium ludibrio habendum esse putent, eique scriptori incepsent «Ueberfluss, Ausschmückung und Erweiterung, Uebertreibungen, Paraphrasierung....». Quod si eum istis velimus sentire, oporteat dieere, quidquid Dionysius scripsit, in rhetorica dilapsum esse! Attamen mox visuros confidimus quid in hac re statui possit; nisi quod usque istine diiudicandum est copiosas res rhetorica arte exornatas a Dionysio praeberti; quidquid sibi videatur parum Graecorum interesse omitti, cuius in locum animadversiones, descriptiones, orationes substitui quamplurimas....

Non possum autem hanc quaestionem persolvere, quin Mastrofini interpretis eiusdem afferam sententiam, ex qua optime emergit

(1) Cfr. PETER, *Dionysius von Halicarnass und Livius*, Rhein. Mus. f. Phil. N. F. XXIX, pag. 542.

quantum intervalli inter Livium et Dionysium intersit: «Livius in cogitationem te inducit, Dionysius otiosum te dimittit priusquam sua orationis finem faciat; alter dueis vel consulis persona indutus, alter rerum scriptoris ac pronuntiatoris; ille quodam animi ardore sua genitius perseribit res, hic vero evagatur, tamquam praeco non impetu animi laudans, sed mercede aut ex more».

Scrib. Salerni, mense Iunio a. MDCCCCVII.

M. GALDI.

VOX URBIS PALAESTRA

LITTERARUM NOMINE QUID VENIAT

TRIA ferme sunt in omni oratione attendenda: tres ipsae quae dicuntur litteris mandantur, modus quo hae vocibus exhibentur, finis denique quem nobis dicendo vel scribendo proponimus. Res enim rectae rationis iudicio imprimis consentire debent; exhibentur autem eo praesertim modo quem vult finis: nam, ut in omni re, sic etiam in litteris, si prudenter agere volumus, finis est accurate respiciendus.

Triplex autem est omnino finis in re de qua agimus: volumus enim vel docere, vel delectare, vel denique persuadere: nunc fere verum potissimum, nunc pulerum, nunc bonum prosequentes. Ex his tamen haud recte eum pluribus rhetoribus conclusas partitionem omnem litterarum esse in triplex genus: prosaicum (uti dicitur), poetum, oratorium; quorum primum omne referatur ad verum, alterum ad pulerum, tertium ad bonum; quorumque primum genus necessitate consistat, secundum operis perfectione, ultimum vi ac efficacitate, aente Tullio: «Probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae» (Or. 21).

Nam qui sic statuunt subtilius quam verius mihi agere videntur: separare enim volunt quae dividi nullo modo possunt. Quasi vero pulerum esse aliquid possit quod non sit simul verum atque bonum, aut bonum verum esse, quod non sit idem pulerum:

Alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice.

Et Tullius quidem oratorem simul et vera docere vult, et puleritudine animum delectare, et rerum bonitate voluntates flectere; ut docendo delectandoque, non minus quam movendo, finem consequatur. «Tribus rebus, inquit (de Or. 2, 77), omnes ad nostram sententiam perducimus, aut docendo aut conciliando, aut permovendo.... Una ex tribus his rebus praefobis est ferenda, ut nihil aliud nisi docere videamus; reliquae duae, sicut sanguis in corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debebunt».

Aptius igitur et verius, meo quidem iudicio, statuit ut quidquid litterarum nomine venit, id nec a vero, nec a bono, nec a pulero esse alienum putetur; sed ut haec tria, sibi invicem plus quam sororio vinculo ligata atque conexa, simul complecti censeatur.

Quid igitur? Num omnia quae litteris mandentur litterarum nomine veniunt? Non hoc

quidem certe; alias enim philosophos omnes, ipsis etiam mathematicis haud exceptis, litteratos appellemus oportet, quod tamen ab usu huic vocis abhorret plurimum. Quamquam enim indubium est vere litteratum esse nullum, quin sit idem nobilis philosophus, tamen constat philosophos exstisset, et esse etiam nunc plures, qui litteras ne a limine quidem salutant. Satis sit eos quos Scholasticos dicimus nominasse, eosque qui ipsos nostra aetate tanto studio prosequuntur, quique haud aliter ac illi, etsi veritatem, quam a pulero bonoque seiungi posse supra negavimus, acriter hi quidem suscipiant indagandam evicendamque, hanc tamen ea dicendi ratione exhibit, ut (ipsis forte non invitatis) litteratorum hominum laude priventur: quorum eloquenti genus rhetores nostri «prosaicum» forsitan appellarent, nisi quod una cum omnis humanitatis cura grammatica ipsa apud eos exsularet.

Ego itaque sic existimo, duo esse omnino dividendi seu scribendi genera; quorum unum litterae, sive litteratura, dici potest et solet, alterum nec solet, nec potest. Qui sic seribunt vel sermonem habent, ut eorum verba nihil referant nisi «res», hoc est, ut in scholis dici solet, «veritates obiectivas», minime vero quae ipse auctor mente animoque suo cogitet, velit, sentiat, eos nego litteratos esse, vel unquam habitos fuisse, sed vel philosophos vel «scientiae cultores», quemadmodum barbara satis voce (1) hodie vulgo nuncupantur. Contra ii litterati recte habentur, qui veritatem, quae profecto non minus ipsis patet quam philosophis, mente animoque complexi, eam «ad naturae vicissitudines, ad humanae societatis errores, vitia, virtutes, ad singulorum studia et ingenia», ad omnium denique «vitam quaecunque in hac rerum universitate sunt et moventur» (2) referunt.

Quod quantum sit munus etiam atque etiam rogo, ut animadvertiscant meditenturque ii, qui litteras quasi ineptias contemnunt, ad easque incumbere docto prudentique homine indignum dictant. Nempe, ut fere in similibus fit, de re agunt cuius conceptum nullum habent. Itaque patronis litterarum quam maxime commendatum velim, ut viris huiusmodi ostendant quid sint litterae, quid non sint: quod si fecerint, optime a se litteris consultum esse certo sciant.

Romae, ex athenaeo Leoniano.

GREGORIUS CLEARY O. F. M.

(1) Vox enim «scientia», non ad ipsas cognitiones, sed ad homines cognoscentes usum romano referatur. — Cfr. ANGELINUM, *Lottius s. de proiecta Latinis*, p. 89. Item, CIMA, BERGER, HEINICHEN, aliasque scriptores de *Stilo Lat.*, passim.

(2) P. ANGELIN., *Lottius*, p. 21.

XXXXXXXXXXXXXX

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.

PERSIUS, Satyr., IV.

Respicere quod non es, tollat sua munera cerdo:
Tecum habita, et noris quam sit tibi curta supellec.

PERSIUS, Satyr., IV.

Quisquis in culpa fuit,
Demissus omne odit, quod dubium putat.

SENEC., Oedip.

Urbs est Alsatiae, Col
Collibus uviferis et agro
Huc e Nanceio (Lotharin
Forte rehabetur, raptus i
Vir septem doctus lingua
Incola coenobii, de multis
Quos hebetes passim bard
Vestis nigra viro, talos d
Zonaque nigra, nigrans
Pendula, trita manu; su

Currus erat vacuus, s

Vectores subiere duo: vir

Ac barbam rufus, quem

Et procera viri coniux, c

Supparus, et rubeus, nist

Anglos adspectus prod

Capsarum vis magna, qu

Sufficeret currus. Tandem

Anglus ad uxorem patrio

Nos alienus (ait) turbatu

Ducere cum monacho nig

Cui coniux: - «Fuit ille

- «Ridiculam vestem cur r

- «Nos (ait) aetates vestre

Gustus at est alis alius

(1) Discipuli mei oraverunt canendum scriberem. Compos
poetarum, accommodatum ad popularem.

HORAE SUBSECIVAE

CHORUS
IUVENUM POLONORUM⁽¹⁾

*Liberum tunc cervix mox sentit vincula iugumque,
Cum depravata est mens populique animus.*

A. MICKIEWICZ.

*Liber si vis
Esse civis,
Haec tu, iuvenis, observa:
Ut iam pridem
Patres, fidem
Cole, quae fit nunquam serva.
Et cum fide
Patrum, ride,
Flagret animus virtute:
Civis vita
Semper ita
Sanam mentem servat tuta.
Et hac arte
Semper arcte
Patriae firmetur amor,
Quem nec Sulla,
Nec vis ulla,
Nec armorum frangit clamor.
Si, Polone
Civis bone,
Tua sic degetur vita,
Etsi mortis
Obvius portis,
Morieris liber ita.*

Varsaviae.

JOSEPHUS WABNER.

Audientibus aliis, ne quid temere dicas

*Urbs est Alsatiae, Colmaria, cive frequenti,
Collibus uviferis et agro celebrata feraci.
Huc e Nanceio (Lotharingus quam colit urbem)
Forte vehebatur, raptus fumante vapore,
Vir septem doctus linguas, Calepinus ut alter:
Incola coenobii, de multis iunior unus,
Quos hebetes passim bardosque diaria fingunt.
Vestis nigra viro, talos demissa sub imos;
Zona nigra, nigrans e qua Mariana corona
Pendula, trita manu; sub mento, candida vitta.*

*Currus erat vacuus, stationum donec in una
Vectores subiere duo: vir nempe capillum
Ac barbam rufus, quem deflagrare putares;
Et procula viri coniux, cui tinctus ab ostro
Supparus, et rubeus, nisi fallor, totus amictus.*

*Anglos adspexit prodebat primus; utrique
Capsarum vis magna, quibus via ambitus ampli
Sufficeret currus. Tandem, re quoque locata,
Anglus ad uxorem patro sermone: - « Quid iste
Nos alienus (ait) turbatum venit, ut auram
Ducere cum monacho nigro cogamur eamdem? »
Cui coniux: - « Fuit ille prior, successimus ipsi ». - « Ridiculam vestem cur non permutat? » Et uxor:
- « Nos (ait) aedates vestem mutamus in omnes;
Gustus at est aliis alius: sic tu, quia rufus,*

⁽¹⁾ Discipuli mei oraverunt me, ut sibi carmen aliquod canendum scriberem. Composui recenti iam ratione et via poetarum, accommodatum ad quandam melodiā nostrā popularem.

*Poscis ut, elixus ceu cammarus, ipsa rubescam,
Cuncta licet schola sartorum Parisina reclamat.
Ergo mitte virum, sua cui sunt integra iura;
Quemque, vel hoc dicam, toga pulla decentius ornat,
Quam te multicolor quadrisque notatus amictus ». - « At baccas tamen abiiciat, quas usque revolvit ». - « Abiice tu potius, quem volvis in ore tabaci
Caulem, nec fumans esto teterque caminus.
Tandem submissa fac voce loquare: peritus
Ille est forte tuae, qua profers talia, linguae ». - « Ne timeas: non est Gallus me doctor Anglo
Saxone, qui, toto cum sim spatiatus in orbe,
Non unam potui peregrinam discere linguam ». Interea monachus volvebat grana coronae,
Illepidi visus minime sermone moveri.
At tandem subiit, quae poenas posceret, hora.
Clamatur statio, morosi meta Britanni;
Resque suas propere legit ille. Sed hunc quis acervum
Expedit solus? Sudantem sponte sacerdos
Aduiat, et domino collectas porrigit arcas;
Quin, oblitera videns umbracula, tendit et ipsa.
Hactenus haec tacitus. Tum vero: - « Vir bone (lingua
Anglorum dicit) valeas cum coniuge cauta;
Tuque, comes rursus peregrini, cautior esto,
Nec temere edicas, quae te dixisse pudebit ». Acer ad haec fumi fit sibilus; acerius autem
Vox monachi, submissa licet, comperta Britanno.*

Ex Alsatia.

FRANC. XAV. REUSS.



FERIAE AUGUSTAE

NON per Italianam ubique, sed Romae semper antiquissima aetate Feriae Augustae celebrabantur, quarum ortum a Consualibus illis deduxere, quae a maioribus d. XV ante Kal. Septembres in dei Consi honorem, agris et cultibus praefecti, habebantur. In his Sabinas mulieres a Romanis raptas Livius affirmat.

Certe a remotissima aetate mos usuveneral dona et auspicia offerri vicissim; Augusto autem imperante, quum sextilis mens adulatio civium Augusti nomen accepit, consuales feriae, mutato ea de causa nomine, Augustales nominari cooperunt. Caesar autem eos per dies ipse primus dona populo largiebatur, pecunias, pullos; quos ut citius obtinerent augurabantur in vicem cives « bonas ferias augustales ».

Sed idolorum cultu depulso, quamquam Augusti Idus ut dies feriati semper sunt habitu servataque donorum consuetudine, Deiparae Virginis in caelum evectae sacri fuere. Haec testatur quinto labente saeculo *Sacramentarium Gelasianum*, sexto autem saeculo *Sacramentarium Gregorianum*, etc. Neque nova hac pia consuetudine abactae feriae sunt: inter quas per medianam aetatem omnem Pisana res publica primas tenere dicendum est. Obequitabant per urbem equis insidentes viginti pueri vestibus induiti ditissimis. Reipublicae vexillum primi pilii deferebant, sequentes vero imperii aquilas argenteas, postremi aquilas aureis coronis redimitas. Sequebantur pedites multi, atque ultimi procedebant tibicines et tympanistae, totam qui pompam suo sonitu perducabant. Pridie autem Idus Augusti seniores cathedralē templū ingrediebantur iisque po-

puli imperator atque magistratus dux erat. Hi omnes simul solemnī missae ab Archiepiscopo celebratae adstabant; post quam panegirica oratio in Deiparae honorem à puero recitabatur et sacra pompa per templū agebatur, in qua magni deferebantur cerei, quibus « fimbriae » vel « pennones » barbara nomina erant. Sub vesperum denique captivi viginti e vinculis liberabantur, dieque sequenti cursus certamen eurrebant, cui praemio propositum pallium erat.

Simili hoc certamine Senenses praesertim celebres evasere, qui ab anno MCCCCXCII etiam nunc servant, quamquam passim mutata forma. Equitibus enim praeeuntibus, urbis e regionibus cives omnes antiquitus ad « Elmora » conveniebant, ad pugnam scilicet quam lapidibus atque verberibus pugnabant; deinde cursus certamini locus erat, quod adhuc viget latissimo in foro, qui a Campo dicitur: cives delecti ex unaquaque regione antiquis vestibus induiti, in suo cuiusque regionis templo congregantur, iisque sacerdos benedicit, qui deinde simul omnes quum convenerint, pompam dueunt mirificam, currū urbī sequente, in quo vexillum Senarum volitat. Tandem electi singuli ex singulis regionibus equites, cursu pallii praemium inter se contendunt.

Meridionali in Italia, Panormi in urbe, solemnissimae pariter Idibus Augusti feriae habebantur. Pridie Praefectus urbis una cum Senioribus per vias obequitabat ad carcereus usque, multis ubi miseris venia poenae concedebatur. Die sequenti cursus certamen erat duplex, alterum pro servis galli, gladii, loricae aut aliis huiusmodi praemiis propositis; alterum pro equitibus. Ditissima insuper equitum pompa eadem die ad mare descendebat per iter quod triumphales arcus, quodque aquae aut etiam vini vel olei fontes ornabant. Vespere autem Cererorum pompa, quam nuncupabant, ducebatur. Postridie navicularum certamen patebat, atque ex uno ad alterum Panormitani sinus caput concurrebant: saginatusque vitulus vel arma praemium victoribus erat.

Romae denique ludi memorabantur, singulis Augusti mensis sabbathi diebus ipsisque Idibus in Circu Agonali, in lacum converso, producti, et ab Innocentio PP. X a. MDCLIII instituti. In iis ex fenestrī omnibus populo redundantibus flores et nummi in aquam deiciebantur, quos pueri natantes certatim sibi comparabant; currus interim in ordinem discurrebant sextilibus ornati vel ad inusitatas formas, ex. gr. cubiculatae navis Venetiarum ad instar, aut immanis pisces effectis. Vespere facto, lumina ubique splendentia amoenissimum lacum reddebat, dum vocum instrumentorumque concentus, laeti semper et varii, poeticum quidam et laetum in animum inducebant.

Hodie vero tot gaudii signorum nihil in Urbe superest; feriae enim Augustae in desuetudinem cesserunt; ferias dicimus, quia omnia a servis et plebe audimus, quibus exsecratio, neque semper submissa voce, succedit, si ea nullo dono rependimus....



philosophos omnes, aud exceptis, litteris quod tamen ab usu sum. Quamquam erat esse nullum, sophus, tamen conseruit esse etiam nunc quidem salutasticos dicimus nostra aetate tanto et haud aliter ac illi, aero bonoque seiungi tamen hi quidem suscipiantur, hanc tamen ut (ipsis forte non laude preventur: metores nostri « protinus, nisi quod una cum mmatica ipsa apud

duo esse omnino difficile; quorum unum litteris potest et solet, altero. Qui sic seribunt eorum verba nihil est, ut in scholis dici, minime vero quae ne suo cogitet, velitis, os esse, vel unquam philosophos vel « scientiam » barbara satis contentur. Contra illi litteris veritatem, quae protinus quam philosophis, eam « ad naturae et societatis errores, etrum studia et ingenium « vitam quaeunque sunt et moventur » (2)

s etiam atque etiam ditenturque ii, qui emunt, ad easque e homine indignum similibus fit, de reum habent. Itaque maxime commendandi ostendant quid: quod si fecerint, ei esse certo sciant.

CLEARY O. F. M.

ipsas cognitiones, sed ad effertur. — Cfr. ANGELI, p. 80. Item, CIMA, BREVIARIO STILO LAT., passim.

ere, nemo
ica tergo.

ERSIUS, Satyr., IV.

munera cerdo:
tibi curta supellex.

ERSIUS, Satyr., IV.

in culpa fuit,
cum putat.

SENEC., Oedip.

PHILANDRI BAVARI DE AQUA DISPUTATIO

LONGUM interest temporis spatium inter diem hunc et eum, quo cum duobus adulescentibus, Stephano et Laurentio, aetate quidem paulo me minoribus, sed familiaritate atque amicitia aequa mecum coniunetis, ad propinquam patriae sylvam ambulationem suscepi. Defatigabant illo die, qui unus erat ex feriatis, solis radii, ne nubecula quidem temperati, animantium corpora; et quum iam occasui approxinquaret, monui amicos, ut mecum ad fontem, qui erat in media sylva, virium recreandarum causa sese conferrent. Quo quum venissemus, aura frondibus arborum teeta odoreque perfusa languentes intolerabili solis aestu amicos mirum in modum refecit. Itaque consueta aetati nostrae hilaritas, quae antea paene oppressa erat, redintegrata est. Sed quum praeteribamus pinos et abietes, ultra coepimus silere, non quod nihil amplius verborum potuissemus proferre, sed quod aures mirifico absuebantur summarum arborum, quae tum leni flatu movebantur, strepitu, qui sonoro avium cantu nonnquam excipiebatur. Haec naturae vis atque maiestas ad omnium arborum satem animos extalit. Tum ad fontem, ut institueramus, ventum est, euinus adhuc viva mihi in mente haeret imago. Limpida fluebat aqua ex cavo in fossam, vel potius in gramina peralta, quae cerebra locum vestiebant. Illud autem erat cinctum vivo caespite et virente museo, ex quo quidam eulmis longioribus flores in aquam demiserant ad bibendum capita. Hie locus erat ad cubandum longe iucundissimus. Sed qui nobant subsidere in gramine ad ipsum fontis marginem, in sellis paullo inde remotis perlustrare poterant oculis contrarii ad levitatem montis, delectarique formarum atque colorum varietate.

Atque quidem Stephanus noster simulatque locum conspexit: — Eece, — inquit, — quo tendimus! Tandem quieti licet se dare.

Et, ut erat fatigatus itinere, concidit. Laurentius et ego subsequimur, et quum satis esset laudata, qua circumdabamur, amoena, illi duo surgentes proximam fonti regionem perverstigarunt. Tum redeentes aqua mergebant panem, quem attulerant, et insperanti mihi Laurentius: — Quid tu, Andrea, tam diu tamque graviter hoc eavum adspicis? Cur non, ut solebas, nostrum condis tuo lepore sermonem? Numquid calor tibi etiam fauces exsiccavit?

— Recete, — inquam, — me ad me revocas, quem haec aqua absorberat. Post tot enim studia, in quibus non ita raro agebatur de aqua in physicorum scholis, hunc locum contemplantem haec occupaverat cogitatio: ruere quidem hanc aquam, sed post longissimum iter eodem reverti; quod quidem iter consequens est mens, et esset adhuc in nubibus, nisi in terram deduxisses.

— Nova tu mihi, — inquit, — narras et inaudita. Tu vero iter istud consecutare, Andrea!

Et Stephanus, quum accessisset propius: — Tu nobis, — inquit, — gratum feceris, si nunc ea de aqua verbis expresseris, quae quondam a physicis accepta modo recogitabas.

— Non mehereule, — inquam, — sum ego is, qui solus vobis audientibus loquar, et qui vobis imponam silentium die schola soluto satius subinde molestum.

Tunc Stephanus: — Tu perge; non enim non molestus modo eris aut importunus, sed valde iucundum nostrum utrique cecidit, quod nobis dudum optantibus tandem contigerit, ut physicorum rationem propriam modumque discamus. Haec profecto mira sylvae tranquillitas, hie arborum et herbarum ornatus, hie perlucidae aquae adspectus nata videntur ad id quod te hortamur.

Cui sententiae quum prorsus assentiretur Laurentius, ad fontem consedimus et: — Magnum, — inquam, — a me exigitis opus, qui continuum a me postuletis sermonem de rebus, quarum memoriae haec quotidiana levitas iam oblivionem induxit. Gerendus tamen est vobis mos, et ut non assequar, quod vel maxime velim, ut copiose, pulchre, nitide, rotunde singula exponam, id vos quum tempori, tum rei ieiunitati, tum meae facultati tributum scito.

Heic subridens Laurentius: — Et meae, qui sinistro te tempore coegerim, impudentiae.

Tum ego: — Quem ergo vos putatis habitram esse cursum hanc aquam, quae, ut videtis, ex fonte hoc effluit? Tenuis est adhuc unda, minutus, quo abducitur, sulcus; grama enim ista eum plane occultant. Sed posteaquam complices huiusmodi fontes confluxerunt, rivus dicitur; rivorum autem in unum alveum collectionem flumen nominamus, quod quidem non tam leviter se proripit, ut hanc videtis aquam decidere, sed cum summa quadam gravitate et cum segnitia in mare devolvitur. Mare autem est quoddam quasi omnium fluminum grande receptaculum. Profecto, si quidquid in mare influit, semper in eo retineretur, aliquando littora excederet, et in regiones proximas redundaret, id quod in rivis et in fluminibus et in stagnis saepe videmus. Nunc autem aqua in tenuissimum paullatim conversa vaporem ascendit in aera, unde recedit in terram, quae resorptam fontibus iterum emittit.

Heic Stephanus: — Ergo iampridem haec ipsa aqua fuit in terra? iam fuit in nubibus? iam in mari?

Cui ego: — Sane, — inquam, — si quidem physicorum rationes non sunt spernendae. Nonne praeclare hoc excogitaverat rerum fabricator, qui, ut animalium corpora sanguine, sic terram aquae fluminibus quasi venis perpetuo cursu sustentat? Aut quae herba sine aqua potest succrescere? Quae est sine aqua agrorum cultura? Quae bestiarum atque humani generis vita? At vero magna est aquae copia, eius physici naturam et usum perquirunt. Alia autem de ea tradunt chymici, alia illi, qui proprio physici nomine appellantur, alia meteorologi, alia geologi: seitis enim unam physicam, quum sola sit copiosior, in multis a nostris aequalibus partiri doctrinas. De illis autem, quas nominavi, nunc quaedam deerampam, quae vos, dum voltis, audite.

Versatur ergo in chymia aqua. Quaeretis, chymia quid sit. Est ea physice pars, quam qui profitentur statuunt, ex quibus singula corpora constent materia vel elementis. Maioribus

quidem nostris haec erat opinio, omnem constitui mundum ex aqua, terra, igni, aere recte temperatis, quam sententiam huius aetatis certa notitia repressit. Non enim quatuor, sed ad septuaginta numerantur elementa, id est corpora, quae nostro non solvantur artificio in diversi generis partes, quorum quaedam in omnibus rebus, quas oculis nostris videmus, congregata sunt. Duo autem elementa efficiunt eam, de qua sola nos quaerimus, aquam: hydrogenum et oxygenum. Haec duo sunt « gasia », nullo odore, nullo colore insignia, quae quum vi chymica coniunguntur ita, ut singulis oxygenii partibus binae hydrogenii partes respondeant, aquam dicimus, quam in hoc fonte videtis. Quod, ne commentum esse putetis, qua ratione ex ipsis elementis component chymici aquam, diseite. Accendunt hydrogenum quod ex vase, in quo conservant, quod « gasometrum » appellant, emanat (dispergetur enim, nisi esset reclusum, in apertum aerum)flammamque male lucentum, ut vix possit videri, calice vitreo excipiunt. Huius intus parietes brevi aquae guttulis conseruntur. Assumunt enim binae hydrogenii partes ardentes singulas oxygenii ex aere, qui est ex oxygenio, animantibus ad respirandum necessario, et ex nitrogenio mixtus, atque in calice nova se aqua depositus. Sed non hac sola via chymici aquam constituunt; aliis etiam permultis, quas ego vobis describerem, si intelligeretis. Quod autem nondum novistis vim elementorum, neque compositionem corporum et dissolutionem, pauca sunt dicenda, ut quaedam vobis sit artis umbra et suspicio. Si in marmor acidum infunditis sulfuricum, nascitur calcium sulfatum, ut nominant chymici, et acidum carbonicum et aqua. Calcium, sulfur, carbonium numerantur in elementis, ut hydrogenum, oxygenum, nitrogenium, de quibus aliquid dicerem, si ad rem nostram pertinaret. Marmor autem nihil est aliud, nisi calcii, carbonii, oxygenii recta compositio. Haec fere sunt de aqua, quae maxime commemorantur a chymicis, quae quidem nunc cogitationum vestrarum finibus apta non sunt, sed aliquando, quum eorum scholas frequenter, in mentibus vobis versabuntur. Haec igitur aqua, quae nos et adspectu et potu delectat, nihil est aliud, nisi quod efficitur ex duorum elementorum chymica coniunctione; et ut sit tam clara atque perspicua, ut paene arenae grana, quae sunt in fundo, numerare possimus, fert tamen aliarum rerum particulas, quas aut in via solutas sorbuit, aut ea, quae innatant corpuscula viventia, quorum nostros oculos effugit parvitas. Quarum rerum, si magna in aqua est copia, bibi sine sanitatis periculo non potest.

Miror vero, socii, quod non iam me iussistis finire hanc obscuram atque areanam doctrinam chymicam, quum ego suspicere rem cogitatione non vos prosequi.

Tum Laurentius: — At nobis quidem, — inquit, — valde id est gratum, quod in hanc doctrinam sermonem vertisti; de elementis te equidem alias audiam planius atque accuratius. Tu redde, quae nunc eupidis nobis audire tuae artis impertiari.

(Ad proximum numerum).

BEATI PE

IN Endoxianam Ba Augustis concurre matim, ut primi Po Regularibus ibi ass lentur.

Novimus enim i iussu Hierusalem sa fuisse detrusum, u enarrant, ab Angelo cula solvens, liberta ptivum restituit.

Romam vero quin in carcere ad pedes Nerone imperante, re novem per menses vi igitur catenas S. Bal cxxvi, Alexandro I P dicitur ac Theodora tronae nobilissimae S praefecti sorori, dono Theodora catenas Po eas in basilica Christi quilliis prope Carinas thermae fuerant, in aulis dicto, reposuit templum optime res ad vineula nomen a tem cccc Iuvenalis Hierosolymitanus, Etricem, Theodosii iu tenis duabus donavit Hierusalem fuisse a tur. Unam igitur ex templo Apostolorum dicate recondidit, aliud Eudoxiam filiam, Val uxorem, misit, quae h eavit, restituit et suo

Xystus III autem gium — quod a Bar narratur — insigne mitanam vix cum tam, sese cum illis formasse. Cuius in que dedicationis nov institutum kalendis brandum.

A sexto igitur saec in templo antiquissi docente, servantur. E viginti annulis const tortus est aduncus, co ferme Petri collum p tena Mamertini carec cim tantum annulis e les primae catenae; et minores; quamob alterius catenae, quae vinetus est.

Hicce e catenis ex clesias magnosque fices donavere. Seob concludebant, quas lorum pie imponeba Hac clave S. Gregorium donavit; S. Leo S. Gregorius VIII Ha

BEATI PETRI VINCULA

IN Eudoxianam Basilicam de Urbe, kalendis Augustis concurrunt quotannis fideles turmatim, ut primi Pontificis catenas a Canonicis Regularibus ibi asservatas colant et deosculentur.

Novimus enim ipsum, Herodis Agrippae iussu Hierusalem sancta in urbe in carcere fuisse detrusum, unde, ut Apostolorum acta enarrant, ab Angelo eductus est, qui eius vincula solvens, libertati et Ecclesiae captivum restituit.

Romam vero quum Petrus venisset, in carcere ad pedes Arcis Capitolinae, Nerone imperante, reclusus fuit, ibique novem per menses vincitus mansit. Has igitur catenas S. Balbina martyr anno cxxvi, Alexandro I Pontifice, invenisse dicitur ac Theodore, Romanae matronae nobilissimae S. Hermetis Urbis praefecti sorori, dono dedit. Vicissim Theodora catenas Pontifici tradidit, qui eas in basilica Christo Salvatori in Esquilis prope Carinas, ubi Titi Caesaris thermae fuerant, in loco «a septem aulis» dicto, reposuit. Ex ea igitur die templum optime restitutum S. Petri ad vincula nomen accepit. Anno autem cccc Iuvenalis, Archiepiscopus Hierosolymitanus, Eudoxiam imperatricem, Theodosii iunioris uxorem, catenis duabus donavit, quibus Petrus Hierusalem fuisse adstrictus tradebatur. Unam igitur ex eis Eudoxia in templo Apostolorum Principi Byzantii dicato recondidit, alteram Romam ad Eudoxiam filiam, Valentini Caesaris uxorem, misit, quae basilicam amplificavit, restituit et suo nomine decoravit.


Xystus III autem Pontifex prodigium – quod a Baronio in *Annalibus* narratur – insigne vidit; catenam Hierosolymitanam vix cum Romanis catenis repositam, sese cum illis coniunxisse unamque efformasse. Cuius in memoriam prodigi itemque dedicationis novi templi festum proprium institutum kalendis Augustis quotannis celebrandum.

A sexto igitur saeculo coniuncta illa vineula in templo antiquissimo, antiqua inscriptione docente, servantur. Earum prima duobus super viginti annulis constat, quorum postremus detortus est aduncus, collare sustinet duplex, quod ferme Petri collum praecinxit, atque haec catena Mamertini careeris creditur. Altera undecim tantum annulis est, ex quibus septem similes primae catenae; quatuor vero alii omnino et minores; quamobrem censentur esse pars alterius catenae, qua Petrus Hierusalem vincitus est.

Hisce e catenis exesam scobem insignes Ecclesiastis magnosque Principes Romani Pontifices donavere. Scobem illam aureis clavibus concludebant, quas deinde sepulcro Apostolorum pie imponebant, mox dono mittebant. Hac clave S. Gregorius III Carolum Martellum donavit; S. Leo III Carolum Magnum, S. Gregorius VIII Haakonem, Danorum regem;

Benedictus XIV Bononiensem ecclesiam suam. Hae modo catenae in argentea capsula servantur suo in loculo, maiori sub altari; quem aenaeae portae a fratribus del Pollaiuolo celeberrimis insculptae claudunt; qui eo pariter in templo sepulti sunt.

Bis in anno B. Petri vincula fidelium venerationi exponuntur; quinta nempe die infra octavam festi SS. Apostolorum, cum Praesules Apostolici cubiculi, iuxta Benedicti XIV Constitutionem, solemnia ibi habent, atque rursus in die eis recolendis sacra et deinde per omnem octavam.



Basilicae Eudoxianae altare maximum, sub quo B. Petri vincula asservantur.

Super loculo, catenam adservante, novum altare atque ditissimum munificentia Pii IX centenaria die a Petri obitu recurrente extrectum est, cuius adspectum hodie lectorum oculis subiicimus. Manent ibi catenae fidelium venerationi expositae, ac tandem solemni pompa, suum in locum reponuntur.

ACTA PONTIFICIA

SACRAE ROMANA
ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS
DECRETUM

Feria IV, die 3 Iulii 1907.

Lamentabili sane exitu aetas nostra freni impatiens in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur ut, dimissa humani generis quasi haereditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de fidei praecipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter catholicos non ita

paucos scriptores qui, praetergressi fines a patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historiae considerationis nomine, eum dogmatum progressum quaerunt qui, reipsa, eorum corruptela est.

Ne vero huius generis errores, qui quotidie inter fideles sparguntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant, placuit SSmo D. N. Pio divina providentia PP. X ut per hoc Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis officium ii qui inter eos praecipi essent, notarentur et reprobarentur.

Quare, instituto diligentissimo examine, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emiae Rmni Dni Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisidores Generales, propositiones quae sequuntur reprobandas ac proscribendas esse iudicarunt, prouti hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur:

1. Ecclesiastica lex quae praescribit subiicere praeviae censurae libros Divinas respicientes Scripturas, ad cultores criticos aut exegeseos scientificae librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegeturum iudicio et correctioni.

3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiore exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christiana religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiae non per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertioneis disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant disceps et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opiniones sancire.

7. Ecclesia, cum proserbit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliis Sacris Romanis Congregationibus latas nihil pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem.

10. Inspiratio librorum Veteris Testimenti in eo constitit quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.

12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praecognitam opinionem de supernaturali origine Scripturae

Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.

13. Parabolae evangelicas ipsimet Evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud Iudeos.

14. In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficia.

15. Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aueta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenuerunt vestigium.

16. Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae.

17. Quartum Evangelium miracula exaggravavit non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christiana, seu vitae Christi in Ecclesia, exennte primo saeculo.

19. Heterodoxi exegetae fidelius expressebant sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici.

20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia.

21. Revelatio, obiectum fidei catholicae constiutens, non fuit eum Apostolis completa.

22. Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso contum sibi comparavit.

23. Existere potest, et reipsa existit oppositio inter facta quae in Sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata; ita ut critici tamquam falsa rei cetera possit facta quae Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historicum falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

26. Dogmata fidei refinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, id est tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma erendendi.

27. Divinitas Iesu Christi ex Evangelii non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit.

28. Iesus, quem ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum quem exhibit historia, multo inferiorem esse Christo qui est obiectum fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalat tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturale Dei Filium.

31. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Jesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi.

33. Evidens est cuique qui praeeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangelii Synopticis contentae authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quae historicie haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum ut hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam snae dignitatis messianicae.

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

38. Doctrina de morte piaueari Christi non est evangelica sed tantum paulina.

39. Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christiana indagatores merito obtinent.

40. Sacraenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

41. Sacraenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam.

42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christiana oblications adnebent.

43. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam.

44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

45. Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I. Cor. xi, 23-25), historicae sunt sumenda.

46. Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Imo etiam postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probossum.

47. Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. xx, 22 et 23) minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

48. Iacobus in sua epistola (vv. 14 et 15) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pius aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo accepereunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt.

49. Coena christiana paullatim indolem actionis liturgiae assumente, hi, qui Coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquiverunt.

50. Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam.

51. Matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur necesse erat ut praecedenter plena doctrinae de gratia et sacramentis theologia explicatio.

52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin imo in mente Christi regnum caeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat.

53. Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis; sed societas christiana perpetuae evolutioni aequa ac societas humana est obnoxia.

54. Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christiana interpretationes evolutionesque quae exiguum germe in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque.

55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.

56. Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est.

57. Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam.

58. Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur.

59. Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunetisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.

60. Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.

61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsim, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idecirco nullum Scripturae caput

habere eumdem theologo.

62. Praeceipui a non eamdem pro clrum significacionem christianis nostri te

63. Ecclesia sese evangelicæ efficaciæ adhaeret immutabilis diernis progressibus

64. Progressus se mentur conceptus de Creatione, de Re Incarnati, de Redem

65. Catholicismus tia componi nequit in protestantismum in

Sequenti vero feri et anni, facta de his PP. X accurata relatum Emorum Patravit, ac omnes et propositiones cœi re omnibus haberi man

EX SS. CONGREGATIONE SENTENTIAE NO

Ex Congregatione Cottis interpretandis

— Canonicus, qui abe conursum sive litterar ad canonicatum obtinen quam praesens in choro bitiones. Neque id sustin particulari quae vigere mens. Febr. MDCCCVI

— Non potest tolerari Chorale, nulla prorsus nec non recitandi vespera Sustineri pariter nullum tendi, nonnullis anni feri praecriptam. (Ex decreto MDCCCVII).

Ex Congregatione Sgentiarum et SS.

— Quum ob specialia l excipiendo aqua lustra altari reperiantur, Celestis et a latere Evangelii nae reverentiam omittit, a Junii an. MDCCCXCIX P II et III (Ex decreto d. r.

— Quum Missalis Rubri Improperia ad functionem neque innuat eadem In sacerdote recitanda, nondum est, sacerdotem ad I non teneri, iuxta proximam communiter exigentem uero choro concinuit. (Indice)

— Ubi in ultimo tridu moveri solet aqua lustrali Sancto, in quibus ecclesiis nesciatur, eadem aqua lustrationem benedic debet, ponit post Litaniarum et

habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo.

62. Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant quam habent pro christianis nostri temporis.

63. Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt.

64. Progressus scientiarum postulat ut reformatum conceptus doctrinae christiana de Deo, de Creatione, de Revelatione, de Persona Verbi Incarnati, de Redemptione.

65. Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

Sequenti vero feria V die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SS.mo D. N. Pio PP. X accurata relatione, Sanctitas Sua Decretum Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, ac omnes et singulas supra recensitas propositiones seu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.

PETRUS PALOMBELLI
S. R. U. I. Notarius.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii Tridentinis decretis interpretandis.

— Canonicus, qui abest a sua residentia, ut ineat concursum sive litteraria exercitia in alia dioecesi ad canonicatum obtinendum, non debet haberi tamquam praesens in choro ad effectum lucrandi distributiones. Neque id sustineri potest ex consuetudine particulari quae vigere asseratur. (Ex decr. d. IIII mens. Febr. M DCCCC VI).

— Non potest tolerari consuetudo recitandi Officium Chorale, nulla prorsus in altare candela accensa, nec non recitandi vesperas ianuis ecclesiae clausis. Sustineri pariter nullomodo potest consuetudo omitendi, nonnullis anni feris, tertiam Missam a Rubricis praescriptam. (Ex decr. diei XIXI mensis Ianuarii M DCCCC VII).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgientiarum et SS. Reliquiarum.

— Quum ob specialia locorum adiuncta nonnulli ad excipiendam aquae lustralis aspersionem sat proxime altari reperiuntur, Celebrans qui a pedibus altaris et a latere Evangelii non elongetur, genuflexionem ac reverentiam omittit, ad mentem decreti d. IXI mens. Iunii an. M DCCC XCIX Plurium dioecesum, n. 4027 ad II et III (Ex decr. d. I mens. Febr. M DCCCC VII).

— Quum Missalis Rubrica unice dicat esse cantanda *Improperia* ad functionem in feria VI in Parasceve, neque innuat eadem *Improperia* et reliqua esse a sacerdote recitanda, non exinde legitime concludendum est, sacerdotem ad *Improperia* et reliqua legenda non teneri, iuxta proxim ubique receptam et normam communiter exigenter ut sacerdos legit quidquid in choro concinitur. (Indidem).

— Ubi in ultimo triduo Maioris Hebdomadae removeri solet aqua lustralis a vasis ecclesiae, Sabato Sancto, in quibus ecclesiis font baptismalis non benedicitur, eadem aqua lustralis in sacrario ante functionem benedicti debet, ut possit in ecclesiae vasis ponni post Litaniarum et *Peccatores*, dum festive ad

celebrandam missam paratur altare ubi unus adest sacerdos; secus privatim ab alio sacerdote in sacrario post expletas Prophetias. (Indidem).

— In Sabbato Sancto cereus paschalis ita poni debet, ut crux latus Epistolae respiciat, in quo celebrans reperitur, durante praeconio paschali; sed post praeconium crux eadem semper populum respiciat. Praeconium autem paschale eodem loco ac Evangelium in missa cani debet, et diaconus cum reliquis ministris lineam rectam efformet, omnesque ad librum faciem convertant, latera dextera altari obversa teneentes; facie crucifixi Celebrantem respiciente. (Indidem).

— Altaris cerei ita sunt ascendendi, ut incipiatur ab illo, qui cruci proximus reperitur in cornu Epistolae, postea servato ordine reliqui duo in eodem cornu existentes: ac deinde ascenduntur reliqui cerei in cornu Evangelii extantes, incipiendo item ab eo, qui cruci propior est usque ad ultimum in eodem cornu oppositum. In extinguendis autem iisdem cereis ordo invertitur, atque incipitur in cornu Evangelii a cereo, qui a cruce remotior est ad illum qui propior; deinde vero a parte Epistolae, eadem regula eodemque servato ordine. (Indidem).

— Quoties exposito Sanctissimo Sacramento cantitur hymnus *Te Deum* in omnibus functionibus, expresse per Rubricas et decreta non directis, ac datur in fine cum eodem Sanctissimo benedictio, versiculi qui citantur in decreto Sacrae Rituum Congregationis d. XI mens. Septembr. M DCCC XLVII Veronae, n. 2956 ad III dici cum oratione *Deus, cuius misericordiae* debent ante hymnum *Tantum ergo*; non quidem duo hymni sunt coniungendi et absolvendi cum solo versiculo *Panem de caelo* et duabus orationibus Sanctissimi Sacramenti et actionis gratiarum sub una conclusione. (Indidem).

— Quoties Processio pro gratiarum actione locum habuerit, post hymnum Ambrosianum dici debent omnes versiculi cum tribus orationibus in Ritu Romano designatis, non tantum recitari possunt versus aliqui et unica oratio. (Indidem).

— Sacerdos missam celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito, si missale ad aliud altaris cornu transfert, debet tantum caput inclinare dum transit ad medium altaris, genuflexionem agere dum illuc revertitur *Munda cor meum* dicturus. (Indidem).

— Celebrans, reportato ad altare post Processionem Sanctissimo Sacramento, aut feria V et VI Maioris Hebdomadae allato calice Sanctissimam eamdem Eucharistiam continente, debet supremum altaris gradum ante suppedaneum descendere, ut ostensorium et calicem diacono, vel alteri sacerdoti, si absque ministris celebraverit, stando porrigit; non debet in plano ante ultimum altaris gradum consistere, ac tradito Sanctissimo Sacramento vel calice, genuflexionem simplicem in plano praemittens, utrumque genu flectere in infino gradu altaris, siue genuflexus illuc manere usque dum tempus thuris imponendi adfuerit, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. XXIII, n. 13; cap. XXV, n. 32; cap. XXVI, n. 16 et cap. XXXIII, n. 24; et supremus altaris gradus in primo et quarto ex citatis Caeremonialis locis, primus in ascensione et ultimus in descensione intelligatur. (Indidem).

— Diaconus aut alias sacerdos, qui post Processionem accipit de manu Celebrantis ostensorium, aut feria V ac VI Maioris Hebdomadae calicem cum Sanctissimo Sacramento, genuflexionem cum utroque genu peragere debet in plano ante gradus altaris et inclinatione capitis Sanctissimum adorare, antequam ostensorium vel calicem a Celebrante recipiat. (Indidem).

— Aliis ac praesertim sacerdotibus saeristicis permitti potest, ut hostiam super patena collocent pro missa ab aliis celebranda; dummodo qui id peragit prima saltem tonsura sit initatus, vel alias privi-

legium Apostolicum obtinuerit vasa sacra tangendi; sed consulendum Celebranti, ut ipse calicis instructionem et alia secundum Rubricas exsequatur. (Indidem).

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Iunii - d. XXI mens. Iulii M DCCC VII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliqui que viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adire, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Raphael Errazuriz Urmeneta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Chilensis reipublicae, Pontifici offerens librum a se conscriptum de urbe Venetiarum; Persarum legatio adventum novi Caesaris Pontifici nuncians; Academiae Nobilium Ecclesiasticorum alumni; Cosimus Rucellai comes; Petrus Monti, archiepiscopus Antiochenus, Legatus Apostolicus ad Chilenses; Ioannes Strozzi, Abas generalis Congregationis Cleric. Reg. SS. Salvatoris; Hyacinthus Cormier, Magister generalis Ordinis Praedicatorum; Nicolaus Szecsen de Temerin, legatus extraordinarius et administer cum omni potestate Austrorum et Hungarorum; Bruno Chaves doctor eodem munere fungens pro Brasilia; Aloisius Barberini, princeps Urbanus; Dominicus Gualtieri, antistites Urbanus, Apostolicae legationis ad Monachium auditor; Emmanuel Sanchez, Praepositus generalis Scholarum Piarum; De Leininghen comes; Kusakabe doctor, a secretis Iaponiae legationis; Adeodatus Wittner ex Ordine fr. Minorum, episcopus Milesius consecratus in auxilium Vicarii Apostolici Seian-tom Orientalis; Rosarius Farrugia episcopus Hamaten. consecratus, Melitensis archiepiscopi coadiutor; Caietanus Bossi visitator apostolicus Seminariorum Sardiniae; Albertus Blanca, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate reipublicae Argentinae; De Pesqueira vicecomes; Pius Mayer, Karmelitarum antiquae observantiae Prior generalis; Bernardus Blumenstihl, dimissarum Apostolicae Sedis copiarum dux supremus; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus.

Pontificiae electiones.

Revinus vir Ulyxes Boccherini, Protonotarius Apostolicus et Vicarius generalis Pisanae archidioecesis, episcopus Grossetan. dicitur.

— Episcopi pariter eliguntur rr. vv. Daniel Francisco Feehan dioeces. Fall-River in civitatibus foederatis Americae Septemtr.; Michael Camilleri, dioec. Sanctorien.; Carolus Hugh dioec. Derrien.; Franciscus Coppel e Congregatione Missionariorum Sancti Francisci Salesii Anneciensium, dioec. Nagporen. — Apostolici insuper Vicarii creatur Nicolaus Cieeri pro Kiam-Si Meridion., et Ioannes Collins S. I. pro Iamaica.

— Eximus vir Felix Del Sordo, Episcopus Claudiopolitanus, ad Venusinam sedem transfertur.

— Revinus vir Gabriel Colatei, rerum Apostolicarum Sedis gestor mittitur in Chilensem civitatem.

Varia.

Die XXVI mens. Iunii Pontifici offertur numisma ex auro, argento aereque ductum in memoriam anni IV Pontificatus eius. Ex una parte Pii X imaginem praebet; ex altera Gallorum episcoporum consecrationem ab ipso peractam.

— Die XXVIII sub vesperum SS. D. N. in Vaticanan basilicam descendit sepulcra Apostolorum Petri et Pauli veneraturus.

— Die XXI mens. Iulii in Xystino sacello adstante Pontifice iusta funebria Leoni PP. XIII solvuntur, die anniversaria recurrente ab eius obitu.

ANNALES

Administratorum colloquia.

Administratorum colloquia duo, quae Iulio hoc mense vertente habita sunt, multarum animadversionum causa fuere; alterum circa Galliam et Germaniam; alterum circa Italiam et Austro-rum Hungarorumque imperium.

Berolinum enim tenuit Etienne ille, qui licet nunc Gallici gubernii particeps minime sit, eius partes tamen omnino tenet, atque palam: itaque iter eius quasi missionem plerique aestimarunt, quae foedus aliquod pararet inter aemulos hue usque populos. Quod si ultra mentem et proposita voces hae processerint, haud absonum saltem a re videtur, concordiam iri confirmatum de Mauritanis rebus, quae a statu lacrimabili minime recedunt.

Maioris quidem momenti procul dubio faciendus est Desii conventus Tittonium inter atque Aehrenthal dynastam, qui Racconigii regale rus deinde petivit cum Italorum rege colloquuturus: triplex antiquum foedus confirmatum inde apparuit, discordiae rumores vanos factos et consilium immutatum de Balkanica, quam dicunt, quaestione, inter nos et Teutonos.

*Haganus de pace conventus alter.*

Interea Haganus de pace conventus lente produceitur. Ibi dum res est de consiliis ad humanitatem in bello provehendam, vel ad non necessariam crudelitatem coercendam, facile omnes consentiunt; quum vero de argumentis agitur, quae aliquo modo certis limitibus definiant offensionis vel defensionis rationes, tum eadem facilitate consensu turbatur. Ita accedit et circa hostilitatum (ita vulgo appellant) initium et circa privatorum res in mari non violandas, et circa regulas indicendas circa urbes tormentis verberandis, vel de portibus in obsidione tenendis. Neque mirum: legati enim civitatis illius, quae se talem existimat ut earumdem rationem aliam praeter alias aggredi queat, eas sequuntur sententias, quae sibi utiles evasurae forent, dum contra invicem aemuli adversantur. Inde... *arcadia imperat!*

*Iaponensium acrimonia.*

Aceris fortisque Iaponensium animi nova his diebus arguenta praebuere tum contra Civitates foederatas Americae septentrionalis ut cives suos in California defenderent, protestationes, quae eo usque processerunt ut belli rumores vagarentur; tum potius in Coreanum regnum minae, unde illius regis abdicatio processit non sine sanguinis effusione. Quid inde? Futurum tempus indigitabit

*Russica quies.*

Contra, praeter rebellium vaticinia, Russica quies, publico popularium legatorum coetu dimisso, fauste permanet, si excipias cruenta hic illuc facinora, quibus politica species tribuenda esset, nisi reapse communia nocentissimorum hominum delicta palam demonstrarentur. Necopinatum sane fuit *Zemstvos* conventum, qui

tantopere novo libertatis regimini adlaboravit, se nunc gubernii partibus fautorem declarasse. Inde plures autummarunt municipes illos spe sua satis esse destitutos.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
LEGIBUS FERENDIS

In Anglia post administrari coloniarum orationem rogatio approbata est ut concilium, extra ordinem a senatoribus popularibusque legatis adlectum, immutationes iuxta temporum necessitates circa duos coetus proponat.

In Austria Weiskirchner doctor publici coetus est praeses renunciatus. Ratio accepti et expensi pro tempore approbata.

In Germania Posadowsky et Von Studt administrari, qui a Bülowio cancellario dissentiebant, a munere abdicarunt.

In Hispania comitorum nova ratio lata; lex de sacchari regime in disceptationem adducta.

In Hungaria « obstructionismus » quem dicunt a legatis Croatiae perduravit, qui aequales omnino in publicis rebus suum sermonem et Hungaricum acriter affirmant.

In Italia post latas leges de hebdomadali requie a laboribus, de portibus, deque expensis militaribus augendis, feriae indictae. Senatus autem tribunal est factus ad Nuntium Nasi, quondam publicorum studiorum administrum repetundarum accusatum, iudicandum.

In Monte-nigro publicus coetus dimissus; nova comitia ad Octobrem mensem indicta.

PER ORBEM

Die XXII mens. Iunii M DCCC VII per ferriviam Ussurianam ad Ganzowka in provincia Mandchouriae, curruum series, emigrantum plena, et limitibus excedit: mortui inde viatores octo; viginti vulneribus affecti.

— d. XXVII Berolini pabulorum horreum flamnis absumitur, inter quas homines duo misere vitam amittunt.

Copparo in oppido Ferrariensi, atque passim per provinciam omnem, agricolae ex condito a laboribus recedunt; vim vi opprimere oportet.

— d. XXX Venetiis Sebastiani Venier cineres, celeberrimi illius Venetorum ducis, qui interfuit pugnae navalium apud Naupactum, anno MDLXXI factae, in monumento, intra templum SS. Ioannis et Pauli ereto, sollemni ritu collocantur.

Die I mens. Iulii, Rapallo, in oppido Liguria, obit Constantinus Nigra, rei publicae gerendae ratione et prudentia clarus. Legatus Italorum fuit apud tertium Napoleonem; Castelnovo ad Augustam Taurinorum natus an. MDCCXXVIII.

— d. IV centesima lux rediens a quo Iosephus Garibaldi, dux notissimus, ortum duxit in Italia omni commemoratur.

— d. VIII e Sinis nunciatur rebellium factio nem in gubernatores hic illie saevisse, quorum alii ferro aut ignitae pulveris globis petiti sunt, alii ferro necati.

— d. IX Parisiis dum Fallières, Gallicae reipublicae praeses, e campo Martio redit, ubi exercitus lustrationi adfuit, Leo Maille quidam, quem mente captum plures existimant, manuballista in eum impetum facit, sed tamen, faustis auspicii, frustra.

— d. XV Sfolyany, Russico in oppido, incendium centum et quatuordecim domus Israelitarum, christianorum autem quindecim; praeterea centum et octoginta tabernas destruit.

— d. XV Bononiae octoginta et unum annos natus placide quiescit in Domino Iosephus Gualandi sacerdos, qui surdorum mutorumque apostoli apud Italos aequales cognomen obtinuit.

— d. XVI Boston, in Americana nordica urbe, quum in navi cui nomen *Georgia* tormentum bellicum comparatur, pyrograna ex improviso incenditur nautis octo horrendam mortem aducens.

— d. XVII Parisiis supremum obit diem Pou belle is, qui legati munere apud Apostolicam Sedem aliquot ante annis functus est.

— d. XVIII Panormi, ob Nuntium Nasi populi oratorem apud publicum coetum legibus ferendis quondam Italici gubernii participem, repetundarum accusatum, in carcere detrusum, plebs ad rebellionem venit, quam sanguine sedare necesse est.

AENIGMATA

I.

Ipsa gerit lapidem, quam continent annulus ipsam;
Litterulam dupla: corpora tota tegit.
Litterula inecta, tritae pars restat avenae;
Pone aliam: siccis crescit amoena locis.

II.

Sunt tria membra mihi; me circum fluctuat aequor;
In me natus homo grandis et armipotens.
Divide me: vivent animi vivente priore,
Quod si confodiant altera, vita fugit.

N. W.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS,
SIVE DE PROVECTA LATITUDE.

Aenigmata an. X, n. V proposita his respondent:

1) Mus - Rus - Murus; 2) Vi - lis.

Ea rite soluta miserunt:

V. Starace; Henr. Tarallo, *Neapoli*. — Petr. Bapt. Zierler O. C., *Brigantia*. — Hermez Gini, *Aquis Taurini*. — Petrus Tergestinus. — F. Guerra, *Aletto*. — F. Arnori, *Mediotano*. — Mercky ch., *Bellamagny*. — Aug. Roberge, *Chicotino*. — I. Walter, *Neo-Eboraco*. — Aug. Givanovic O. P., *Raghusio*. — Alois. Cappelli, *Senis*.

Sortitus est praemium:

AUGUSTUS GIVANOVIC,

ad quem missa sunt

JOSEPHI SCOPA
CARMINA.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis*, Phil. Cuggiani.

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

MIL. Sta, tesseram ede.
 URB. Poena!
 MIL. Sceleratos premit.
 URB. Adeste, socii, poscit officium locus;
 Vindicta properat; state suspenso gradu.
 Aderit Anastus, arma cum tempus petet (1).
 Et ecce dapibus festa proludit tuba (2).

SCENA VI.

ZENO, LONGINUS, SEBASTIANUS, ERASTUS,
 EUPHEMIUS patriarcha, BASILISCUS, Harmati filius,
 HARMATI UMBRA, EPHEBI, PROCERES.

ZEN. Io triumphhe!
 LONG. Bacche, da laetum diem,
 Evöe Lyae!

ZEN. Frater, Hercules scypho
 Regnum propino!

LONG. Fausta Zenoni, salus.
 SEB. Sic, sic triumphat Bacchus excellos duces;
 Sic nos triumpho Bacchus ad currum trahat.
 Evöe bibamus!

ERAST. Caesar, heu quaero patrem!
 Pater Pelagi, natus infelix vocat!

ZEN. Catule, quid ululas? Aufer hinc luctus procul.
 ERAST. Heu genitor!

LONG. Agedum funde lachrymulas puer,
 Quas hoc natantes calice, Pelagio bibam.
 Abscede diri pignus infaustum patris;
 Evöe bibamus!

EUPH. Sulphur aeternum brevi
 Bibetis ambo, sclera nisi plangat dolor.
 Natat heu, cruore terra; vos madidi mero?
 O caeca fratrum pectora!

ZEN. O dirum semen,
 Senem procacem!

LONG. Miles, exturba ocyus.

ZEN. Garris profane Mysta? Repetamus merum.

EUPH. Sero dolebis, Caesar. Iustorum eruor
 O quam tremendos mittit in caelum sonos!

ZEN. Evöe bibamus.

SEB. Latera disrumpat senex.

BASIL. Qua te requiram, genitor Harmati? Heu pater,
 Heu sanguis!...

ZEN. O foecundus in luctum dies!
 Semperne ad aures bubo? Quis luctum novat?

BASIL. Basiliscus ille sum; sortis opprobrium patrem
 Requiro, Caesar; natus infelix patrem.

ZEN. Patrem reposcis? I, pete Acherontis vada.
 Si cymba desit, iste te crater vehet;
 Illic stat umbra cinctus horribili pater.

HARM. (3) Hic sum, tibi umbra cinctus horribili; vide
 Vide, cruenta bellua! (4)

LONG. Quid, frater, paves?

ZEN. Frater!

LONG. Quis horror?

(1) Canit tuba.

(2) Milites in insidiis collocat. Interim famuli epulas et vina
 circum ministrant viris supervenientibus.

(3) Apparet ad latus Zenonis.

(4) Indigitat guttur suum circulo sanguineo notatum; deinde
 Basiliscum filium. Zeno terrore opprimitur.

ZEN. Cernis, ut oculis hiat?
 Ut te minaci torvus aspectu necat?
 LONG. Ubi? Quis? Ad arma....
 ZEN. Ibi.
 LONG. Nemo, per stygium Iovem;
 Nemo est.

HARM. Propinquant funera; sepulcrum patet;
 Hiat Orcus; instat ulti; occumbit dies (1).

ZEN. O frater!

LONG. Umbram vanus effectam times.

ZEN. Feralis umbra, frater, o qualis stetit
 Harmatius ore! Voce qua tonuit!... Procul....

SEB. Percitus Baccho mille sibi formas creat
 Animus....

LONG. Bibamus. Veniat in scenam chorus.

EPHEB. I. O fugite, fugite, principes!

LONG. Quid instat?

ZEN. Ah!

EPHEB. Saevit per aulam miles Harmatii....

LONG. O nefas!

Fuge, frater....

ZEN. Arma.... ar...ma....

EPHEB. II. Propinquat hostis.... (2)

SCENA VII.

ANASTASIUS, URBITIUS, PROCLUS, PHILARGUS,
 CASTOR, MILITES et ZENO ebrius.

ANAST. I, Procle, propera; terga Longini preme,
 Reprende profugum; capere si vivum nequis,
 Prosterne. Monstri perfer exstincti caput.

PROCL. Qua tenuit hostis, miles, hac urge gradum (3).

URB. Imperet Anastus; orbis imperium regat!

OMNES. Imperet Anastus; orbis imperium regat!

URB. Depone sagum, quasque Longino notas,
 Quae decora regni frater aptabat, cape;
 Melius in istas scepta quadrabunt manus.

Imperet Anastus; orbis imperium gerat!

OMNES. Imperet Anastus; orbis imperium gerat!

ANAST. Tandem volutam cerno fortunae rotam.
 Cuius superbos aethra non animos capit,
 Non sclera mundus, mordet, en praeceps humum.
 (4) Infame monstrum! Deditum furiis caput!
 Stagnum cruentum! Bellua, humana latens
 Dudum figura! Siccine imperii iubar,
 Sic decora clarae sortis, et culmen throni
 Decuit propina, sordibus, ructu, mero
 Contaminare? O regii opprobrium gradus,
 Pudorque regum! Perge, ronchando, efferum
 Prosta fuorem; volve de latere in latus,
 Vino sepultos pariter et somno sinus.
 Ructa cruentum, quo sitibandas diu
 Fibras rigasti; faxo, furiosam brevi
 Animam inquinato pectore expires (5). Age,
 Surge, fera; causam perage, te iudex vocat
 Fati!

(Ad proximum numerum).

(1) Evanescit.

(2) Fugit Longinus. Zeno ebrius in media scena corruit.

(3) Exit Proclus cum militibus.

(4) In Zenonem, ebrietate victimum.

(5) Zenonis collo pedem imponit.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVII.

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:
Ex subnotatoribus quisque KALENDARIO a *Voce Urbis*
expresse edito fruetur.
Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum
subnotationis mi-
serit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem – bi-
bliopolis exceptis – dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem iti-
nere gratis omnino fruetur.

Kalendis Ianuariis MDCCCCVII "cumulativa", subnotatio instituta est
inter comm. *Vox Urbis* et Romanum diarium *Corriere d'Italia*.
Ven. in Italia lib. 18; apud exteras gentes lib. 34,50.